RECTOR

UNIVERSITATIS LIPSIENSIS

D. OTTO LINNÉ ERDMANN

SACRA PENTECOSTALIA

PIE CELEBRANDA

INDICIT

INTERPRETE

D. THEODORO ALBERTO LIEBNER

ORD. THEOL. H. T. DECANO.

INTRODUCTIO IN DOGMATICAM CHRISTIANAM.

PARTICULA II.

LIPSIAE

LITTERIS EXPRESSUM A. EDELMANNI.

TYPOGRAPHI UNIVERSITATIS.

12.

Quae hucusque (9 — 11) disputata sunt, ea ad initiandam tantummodo trium Partium introductionis dogmaticae quaestionem faciunt. Iam ante quam plenius et accuratius de cogitatis illis divinis e facto *θεανθρωπικῷ*, quo genus humanum servatum est, eruendis (cf. 9 — 10) exponi potest, quod Partis II. est, primum quidem magis in universum de fidei scientia verba facienda sunt, quod cum maxime huius Partis I. est, ita tamen, ut haec quoque ad propriam et peculiarem illam operam dogmaticam, quae Parte II. describenda est, plane ac prorsus spectent neque per se, nisi Pars ista II. sequatur — in qua salus christiana tanquam omnis scientiae dogmaticae conditio necessaria *diserte* ponitur — vera sint.

Quae quidem universa magis disputatio optime, ut videtur, et ad rem ipsam perspiciendam accommodatissime ab adumbratione quadam errorum et opinionum praeiudicatarum exorditur, quae nostra maxime aetate veram quae inter fidem et fidei scientiam intercedit rationem vel impediunt et pervertunt, vel perturbant et obscurant. Quamquam, quod erroribus istis subest, per omnes ecclesiae aetates vario modo variaque forma veritati impedimento fuit.

Falsas autem has praeiudicatasque opiniones quum aut ad *fidem* magis aut magis ad *scientiam*, qualem supra utramque statuimus, pertinere consentaneum sit, nunc quidem ratio postulat, ut vera illarum vis et natura significetur ita, ut, quomodo incipiant tolli, demonstretur, quum, quomodo prorsus tollantur et funditus, ipsa demum doctrina dogmatica exponi possit.

Facile autem intelligitur, fieri non posse, quin et falsae illae de fide opiniones semper etiam falsas de vera fidei scientia tectas

involutasque contineant opiniones, et falsae contra de scientia fidei opiniones semper ipsius fidei impedimenta sint.

13.

Ut discedamus nunc a vulgari illa, quae neque ratione neque vitae usu angustos ejus, qui sensibus percipitur, mundi ipsiusque hominis se solum spectantis curantisque fines egreditur, impietate et non credendi pervicacia: praejudicatarum de fide opinionum vis et natura aetate nostra praecipue in certa cogitandi quadam longe lateque diffusa ratione est posita, qua, quidquid in cogitationem cadit, aut in singulas misere dissolvitur partes aut ad fictam quandam inanemque revocatur unitatem (atomistica illa, haec monistica ratio dici possit), seu qua, si rem, ad quam cogitatio pertinet, spectamus, vim divinam aut in semet ipsa existimant esse inclusam, aut per omnem rerum naturam intentam esse et commeare (deistica illa, haec pantheistica dicatur); quam quidem et ipsam cogitandi rationem utramque negari non potest ex parte certe aut ortam esse ex impietate animique illa, quae omni peccati intelligentia destituta est, conditione, aut latentem eam in se et inclusam habere. — Causa autem et fons earum opinionum, quae contra fidei scientiam pugnant, est aut magna quaedam animi in fide (s. ad credendum) imbecillitas et inertia aut inscientia et ignorantia verae naturae fidei, quae quidem non minus, ut mente cognoscatur et intelligatur, quam ut vita et factis explicetur et comprobetur, postulat.

14.

Neutram illam cogitandi rationem (atomisticam et monisticam), quum vis et natura fidei Christianae immutetur vel potius tollatur

ea, quidquam ad res dogmaticas tractandas valere, quin omni prorsus ad easdem intelligendas facultate utramque carere, statuendum est. Etenim priori illi (atomisticae) rationi illud proprium et peculiare est, ut, quum tota defixa sit et haereat in differentiis rerum neque videat id, quo in unius rei quasi corpus coalescunt differentiae, omnia dissecet et distrahat, in singulas partes concidat, atomorum denique instar consideret. Inest igitur in hac cogitandi ratione omnia dissolvens illa mortis vis, qua ex vivo quodam corpore tollitur animus. Potest igitur ea — quum omnino non possit duas res arctissimo vinculo et vi quadam vitali inter sese conjunctas cogitare, — primum non cogitare neque intelligere absolutam, quae dicitur, unitatem h. e. earum, quae in Deo insunt, differentiarum unitatem, seu trinitatem (cf. praeclarum illum, quem ecclesiae theologia in hac re habet, terminum: „περιχώρησις essentialis s. immanentia et inexistentia mutua"), sed necessario Deum tanquam atomum considerat, qua quidem simplici atque inani Dei notione fieri apparet non posse, quin omnis Christiana de Deo doctrina, quin universa dogmatica Christiana pervertatur funditus atque intereat. Intelligere illa deinde et cogitare non potest aut omnino mysticam illam, quae inter creatorem et hominem ad Dei effigiem creatum intercedere debet, unitatem — haeret enim in simplici illa deismi morumque notione — aut multo minus etiam eam, quam fides Christiana in ϑεανϑρώπῳ Christo statuit esse Dei et hominis unitatem (περιχώρησ. personal.); non praeterea Christum cum cunctis fidelium membris conjunctum ita, ut capitis instar in iis habitans in unum omnia consociet ecclesiae corpus; non porro eam mentis humanae et naturae, quae fit in Deo seu per Deum, unitatem, h. e. naturam cum mente Deo unita conjunctam ita, ut illa instrumenti sit instar apti atque idonei,

per quod haec consilia sua et voluntatem sive potius divina consilia et divinam voluntatem perficiat (cf. res ecclesiae novissimas et miracula, quae illarum quasi quaedam prophetia sunt, cum vicissim miracula sine illis cogitari non possint); non denique libertatis necessitatisque unitatem, qua quidem in re praecipue, quanta sit Pelagianismi imbecillitas, cernitur. Quae si complectimur cogitatione omnia, destitutam videmus esse hanc rationem vera illa penitusque res perspiciente et pervidente cogitandi vi, quam fides postulat idcirco, quia ipsa et intima est, quae omnino in mente humana esse potest, unitas et intima etiam verae h. e. ejus, qua singula omnia ad unam rem referuntur, cogitandi rationis causa atque effectrix.[17])

Contraria prorsus atomisticae huic rationi est altera illa, monistica seu pantheistica, quippe quae mordicus tenens unitatem, non curet tollique patiatur differentias. Gravissimae illae et verae differentiae resque inter sese contrariae (Deus et mundus etc.), quas fides Christiana re vera esse sumit nec temere negando tollit, sed ad veram vitaeque plenam unitatem conjungit (peccati ratione habita, salute divinitus missa scit superatas esse), hae igitur illa cogitandi ratione perpetuo in monismi, qui dicitur, cogitationis angustias contrahuntur ita, ut neque Dei et mundi ab eo creati neque mentis et naturae neque boni malique differentiae agnoscantur aut eum, quem vindicare sibi possunt, locum obtineant. Imo differentia ei videtur nihil aliud esse nisi momentum, ut dicunt, in altero membro evanescens, et omnia dialecticae ope adeo moventur perpetuo et fluunt, ut nihil fere tandem, quod firmum et stabile sit, relinquatur.

Totam igitur Christianam dogmaticam patet id

sibi debere propositum habere munus atque officium, ut hac utraque cogitandi ratione purget perpetuo atque liberet religionis argumentum suamque doctrinam: id quod haud paucos adhuc, qui rebus dogmaticis operam dant, non sine magno doctrinae ecclesiaeque detrimento illato, latere videtur.

15.

Jam vero si accuratius consideramus praejudicatas (falsas) illas de fidei scientia opiniones — eam autem dicimus scientiam, quam evangelica doctrina statuit, comparatam illam ita, ut fides in ea non pereat sed magis etiam ex ea emergat et perennis quidam ipsius scientiae fons maneat — duplex invenimus earum genus esse: unum in solo pietatis quodam sensu positum, quod in communi vita est pervulgatum, in theologorum doctrina patronos praecipue habet de Wettium, Schleiermacherum eorumque discipulos aliquot; alterum externa quadam nisum auctoritate, qua ducti ita fere damnare solent scientiam fidei, ut arrogantiae accusent eos, qui scire cupiant id, quod dumtaxat credendum sit. Utrumque vero hoc genus jam in universum dicendum est repugnare veritati. Mentis enim, maxime fide Christiana imbutae, quum summum penitusque in ipsius natura insitum desiderium sit unitatis ejus, qua singula quaeque, quibus ipsa fungitur, munera arctissimo vinculo inter sese contineantur ita, ut nullum excludat alterum, sed certa quadam naturae lege ac necessitate unum includat atque contineat alterum, illa contra opinio intolerabili prorsus modo distrahere conatur mentis naturam et, ut in longe gravissima re intelligendi facultati omnino locus non relinquatur, postulat. Fieri igitur non

potest, quin illi a norma et regula, quam ratione ponunt, re et veritate desciscant et, quotiescunque, quae ipsi de fide sentiant, exponere aggrediuntur, aliquo modo scientiam quandam, quamvis mancam illam et inchoatam parumque accurate et subtiliter ex ipsius rei natura haustam et explicatam, promant eaque ipsa re satis testentur, fidei imbecillitatem quandam et impotentiam esse causam, cur hac via longius nolint progredi. Et ea quidem, quae solo sensu quodam pietatis ducitur, doctrina, quamquam raro et invita huc descendit, tamen non potest, quin absolutam illam, quae fidei subjecta est sive in qua fides versatur, rem definiat ita, ut absolutam eam dicat „esse“ aut „essentiam“ aut „causalitatem“ aut „vitae principium“ (Schleierm.). Qui autem externa illa fidei auctoritate nituntur, ne in illis quidem subsistunt, sed notiones etiam „personae“, „amoris“ etc. adhibent, quamquam parum illi et necessitatem et potestatem, singulas has notiones ad certae cujusdam theologicae disciplinae ac veri systematis formam revocandi intelligentes. Refellitur praeterea horum opinio maximis illis, qui superioribus ecclesiae saeculis a summis ingeniis virisque et vitae gravitate atque constantia et intelligentiae excelsitate praestantissimis in dogmatica disciplina suscepti sunt, laboribus, quos quum alteri maximam partem inutiles et supervacaneos esse contendant eamque ob causam ita, ut vix firmi quidquam et certi remaneat, interpretari conentur, alteri semel (v. c. reformationis aetate) in omne tempus confectos esse ita, ut supersedere nunc iis possimus — aut levitatis aut inconstantiae crimen effugere nequeunt.

Atque negari quidem haudquaquam potest, utramque hanc, quam significavimus, rationem veri aliquid continere et magni etiam

ad doctrinam dogmaticam non minus quam ad universam religionem Christianam momenti fuisse. At — ut pia illa sentiendi ratio haudquaquam unicum religionis Christianae praesidium est et firmamentum, sed initium tantum ejus subjectivum, in singulorum sentiendi ratione positum, quod ad universam quandam speciem et formam progredi debet ita, ut interna illa sensu percepta divini numinis comprehensio ad comprehendendum illud percipiendumque scientia et vita voluntateque provehatur, — ita altera illa, quae auctoritate nititur, ratio objectivum religionis initium est, cujus vera vis et potestas nulla alia est, nisi ut ei, quae in singulorum animis insit, pietati et religioni, ad libere vim suam et naturae accommodate explicandam locus et opportunitas detur. Utrique igitur rationi commune id vitium est, ut in inferiorem quendam locum depressa retineatur cogitatio. Ceterum probe sentire utramque, aliunde sibi quod desit adsciscendum et explendum esse, apparet inde, quod et Schleiermacheri doctrina quum ab ipso, contra institutam rationem, tum praecipue postea a discipulis et ita quidem, ut partim sacrae scripturae magis partim ecclesiae auctoritatem sequerentur, in scientiam quandam traducta et conversa est, et altera illa quae auctoritate sola nititur ratio, theosophiam, qua superioribus jam protestantismi saeculis doctrinam evangelicam constat haud parum excultam esse, in dies magis recipere et in usum suum convertere coepit. Haud exigua pars eorum, quae optime nostra aetate de re dogmatica scripta sunt, huc pertinet.[18])

16.

Vera et necessaria inter fidem et scientiam ratio, quae victrix ex opinionum illarum turba et certamine emergit, in universum est

ea, ut fides sit intima creatae hominis personae cum absoluta Dei persona unio (in Christo spiritus sancti opera perfecta cf. P. II.), eamque ob causam perpetuus fons propriae cujusdam et peculiaris, h. e. quum omnino religiosae tum christianae cognitionis et vitae sit. — Est igitur fides in nobis id, quo tanquam intimo et principali vinculo humana nostra natura cum divina conjungitur. Quod si enim Deus et homo primum eatenus sejuncti et separati sunt, ut homo — non momenti tantum alicujus transitusque instar divinae naturae, se ipsam in mundo explicanti et quasi propaganti, inserviat (cf pantheism., panlogism., determinism.), sed, ut vere creatus sit idque consilio eo, ut personae, sua sponte et libere agentis, vi et potestate indutus se non minus in Deo quam Deum in se habeat; vel si porro libertatis illius abusu et nati inde peccati culpa hominis cum Deo divortium est factum: fides contra et inde a principuo conciliat utrumque et, peccato diremptione facta, reconciliat. Est enim fidei ea vis et potestas, ut ejus ope — Deo pro initiali sua se communicandi vnluntate ad hominem se convertente et hominem ad se convertente — homo hac divina vi et communicatione imbutus ex intimo ipsius animo ad Deum convertatur: eamque ob causam Deus ipse auctor et effector fidei dici potest. Jam vero quum fieri non possit, quin et haec Dei sui ipsius communicatio et revelatio, utpote ab absoluta persona proficiscens mentis et vitae sit plena (theoret. et pract.) et idem in homine, fidei ope illud beneficium accipiente, efficiatur; quumque porro fides divinae humanaeque naturae unitas sit ea, ex qua tanquam ex principio et fonte suo universa hominum religio manat et certa quadam via et ordine conformatur atque excolitur: necessario sequitur, fide non minus cognitioni et intelligentiae quam vitae et actioni hominis

certum aliquod munus patrandum imponi. Et hujus quidem rationis pars ea, quae ad vitae actionem pertinet, (quam sanctificationem ordo ab ecclesia praescriptus salutis script. sac. duce appellat) a nemine fere non agnoscitur. Non minus vero altera etiam illa, quae intelligentia continetur, si quidem hic quoque perspicuitas expetenda et omnis rei ipsius tollenda discordia est, scriptura sacra duce[19]) agnosci et, ut in ecclesiae soteriologia, sic hic quoque falsus pariter Augustinismus i. e. physicismus ethicae expers ac Pelagianismus superari debet. Quemadmodum enim, secundum veram salutis doctrinam, nulli omnino homini, nedum Christiano bonum aliquod divinitus offertur tam promptum atque paratum, ut nihil amplius opus sit, nisi ut accipiatur, sed contra illud, quantumvis per semet ipsum beneficium merum sit Dei gratia per Christum in fide acceptum, ipsius tamen hominis opera indiget eatenus, ut, quae in fide potentialiter insunt, ea Spiritu sancto moderante voluntatis constantia in vitam transferantur, quemadmodum igitur justitiâ Christi in fide positâ et donatâ opera simul et facta fidei ad vitae sanctitatem et ad patrandum perficiendumque proposita et imperata sunt: ita non minus intelligendum est, ne cognitionem quidem religiosam rem ab initio per se jam paratam atque perfectam esse, sed hic quoque divinitus aliquid in fide donatum et eam ipsam ob causam imperatum atque propositum pioque cognoscendi sciendique studio Spiritu sancto moderante perpetrandum esse. Fides ut ad voluntatem et vitae usum (practice) est mortua, si caret operibus, ita ad intelligentiam et rationem (theoretice) est mortua, si destituta est scientia. Scientia est opus fidei effectum patratumque in mente, intelligentia et ratione. Quum autem nemini non

fidelium, pro sua cuique facultate, hoc opus imperatum sit, tum omnium maxime et potissimum ecclesia id debet perficere perfectique fructum singulis pro singulorum viribus et muneribus tribuere in confessione et theologia ecclesiastica. Est enim ecclesia instar omnium, qui et fide et fidei scientia praediti sunt.

Atque vulgari quidem illo seu anthropologico modo, quo aliquid scire se ipsum dicitur posse, fidem quoque, et quae et qualis ipsa sit, scire, non negatur neque, nisi forte omnino illud se ipsum scire tolli volunt, negari potest. At utrum ei theologica (stricto sensu) etiam et huic conveniens theanthropologica scientia jure tribui possit, quaeritur. Ne hoc quidem contendimus Christianae fidei posse dubium esse. Quum enim illa ipsa vera sit divinitatis objectivae subjectivaeque humanitatis in homine unitas, necessario concedendum est, jam ab initio in fide et primitus ejus rei, in qua versatur et quam credit, inesse conscientiam, neque potest profecto fides, qua creditur, esse sine fide, quae creditur. Quapropter si ea, quae hac conscientia continentur, diligenter religioseque animo effinguntur et ad certae cujusdam formae speciem evolvuntur et excoluntur, scientia ita orta objectiva est et ad rem ipsam pertinens, neque magis, quin talis sit, dubitabit, quam in fidem ipsam cadit dubitatio.

17.

Deus se revelando h. e. communicando — nam non se revelat Deus nisi se communicando — in fide ipse se ponit tanquam actuosum et solidum cognoscendi principium, quo, ut datur, ita imperatur etiam aliquid, non aliter atque (si formam spectamus) in

vita et voluntate hominis idem prorsus gratiâ, quae *κατ᾽ ἐξοχὴν* appellatur, fieri constat. Postquam enim Deus, perfectus ille semper in se — i. e. absolutae mentis et veritatis absolutique amoris et boni aeterna vita atque essentia — posuit se in nobis et domicilium collocavit eo consilio, ut vi revelationis revera sit in nobis, fides huic voluntati ejus non refragatur, sed libenter ei in intima animi parte locum concedit et credit se totam ei atque committit. Atque ita fit, ut Deus revelationis ope in fide se hominis tanquam veri bonique principium ponat, utque homo id, quod inde a principio et primitus a Deo est positum, intelligentia et vita ad propositum finem perducere et quodammodo Deum ipsum, divinae intelligentiae seu veritatis ac vitae divinae particeps, in se continuare possit et debeat. Perfici autem posse patet hoc opus summum atque mirificum divini tantum illius ipsius principii ope et perpetua praesentia — ex fide et per fidem —, a quo universa haec causa de qua agimus i. e. religio et salus exorsa et profecta est; idque ipsum quum fit, praeclara illa, quam quaerimus, emergit atque efficitur scientia et vitae actio ex fide nata et fide imbuta.

Dicere cum scriptura sacra licet, Deum ipsum in fide tanquam cibum se praebere homini, intelligentia ab hoc et vita assimilandum sibi, h. e. inter rem divinitus impertitam homini et animum hominis recipientem eam eadem interest ratio atque inter alimenta et corpus recipiens ea, quae quidem penitus ex veritate hausta naturae similitudo ad animum et mentem translata per totam scripturam sacram pertinet. Hinc vera anthropologia, hinc intima quum universae religionis tum Christianae praecipue salutis doctrinae vis et potestas disci atque intelligi potest. Cf. Joh. 6, 22 — 35: „*ο ἄρτος τοῦ θεοῦ ὁ καταβαίνων ἐκ τοῦ οὐρανοῦ*" et ll. simil.; porro universam

Pauli de justificatione doctrinam[20]). Perceptum hoc plane cognitumque habebant Reformatores nostri penitusque imbuti erant hac intelligentia. Nimirum ita, si verum quaerimus, instituti et comparati sumus, ut Deo ejusque sui ipsius communicatione tanquam vera et naturae nostrae (quippe cui principaliter inest imago divina) accommodata substantia explendi simus neque quidquam omnino aut vere boni aut meriti per nosmet ipsos habeamus, sed donandi hoc divinitus et pascendi simus. Quare verissime veterum aliquis ecclesiae doctorum dixit: „nisi exinaniti aperto animae ore ad expetendam Christi gratiam accedimus, non sumus Christi capaces.“ Donamur autem hac substantia hoc ipso consilio, primum quidem ut liberemur, deinde ut iam libera eam voluntate tanquam nostram vindicemus nobis, in usum nostrum convertamus, assimilemus denique naturae nostrae. Effici autem id nulla alia re potest quam fide, cuius veram naturam constat in libertate consistere (Augustinus: „nemo credit nisi volens“). Finis denique quo omnis ea, quae postulatur a nobis, opera tendit, est, ut substantia illa divinitus impertita transeat in nos ita, ut cibus transit in vitam corporis. Atque si eam spectamus partem, quae vita et actione continetur, quod hic nobis impositum munus est, id ad Deum, absolutum illud bonum et solam, quae divinitus vere in nobis inest, boni substantiam, pertinere apparet; quod quidem ecclesiae de justificatione, regeneratione, sanctificatione doctrina docetur. Quod autem in absolutum bonum cadit, id eodem iure dicendum est in absolutum etiam verum (s. absolutam veri substantiam) et eam, qua intelligere illud possimus, rationem et formam cadere. Ut autem alterum nullo modo sejungendum ab altero, sed ismul perpetuo utrumque, ut et vita et intelligentia propius semper

ad divinae illius substantiae similitudinem accedat, perficiendum est, ita illud inter utrumque est vinculum illaque ratio, ut et detur continuo aliquid mutuo et accipiatur h. e. voluntas per fidem divinitus alta et pasta opituletur intelligentiae et intelligentia voluntati. Hinc vero jam sponte etiam vera Christiana cognoscendi doctrina verumque de animi nostri categoriis et divini percipiendi comprehendendique facultate judicium emergit et sequitur. Etenim tum demum apparet formas intelligentiae nostrae sive categorias nostras absolutae veri substantiae participes fieri et compotes, quum per fidem religione imbuantur, vel potius, quum universa intelligentia nostra fidei plena et religionis fiat, h. e. fiat id, quod per se est substantialiter et principaliter, nimirum ad quod ipsa primitus a Deo sui ipsius communicationem spectante facta et conformata est (Augustinus: „Tu creasti nos ad Te" etc.). Nam neque agnoscimus Deum nisi per Deum, neque amamus Deum nisi per Deum. Fides ipsa perpetuum est semen quasi atque initium divinae nobiscum communicandae intelligentiae, id quod significatur voce illa: credo, ut intelligam. Nomine igitur fidei scriptura sacra ejusque auctoritatem sequens ecclesia et intimam unitatem et profundissimum uberrimumque fontem duplicis illius, quod Christiana religione singulis intelligentia et vita perficiendum imponitur, muneris indicare voluit. — Subtilius quispiam omnia quae hucusque disputata sunt in unum comprehensurus dicere possit: hominem in rebus summis, religionem spectantibus, esse quasi formam, sive hominem per fidem se Deo praebere tanquam formam spiritualem, divina veritatis et bonitatis substantia explendam; atque si hanc sententiam recipiamus, haec „forma" h. l. non res sit cogitatione tantum ficta et informata, sed vera et solida; vim enim significet et potestatem personalitatis illius,

quae intelligentia et voluntate formam se absolutae substantiae efficere, vel potius a Deo ejusque sui ipsius communicatione effici se pati et potest et debet. In N. T. in hanc sententiam fere aliquoties dictum esse videtur σκεῦος[21]). Tum liberari etiam videmus notionem religionis omnibus illis, quibus parum accurate et plene ejus natura designabatur, definitionibus, ut physica illa Schleiermacheri, logica Hegelii, aesthetica de Wettii, morali denique Kantii[22]). Pelagianismum autem (quum antiquum, tum recentiorem longe lateque vagantem, aeque theoreticum ac practicum) utpote, si verum quaerimus, opinantem, hominem posse divinam illam substantiam h. e. verum et bonum, quod scriptura sacra docet divinum mentis esse pabulum assimilandum homini, ex se ipso procreare, superatum hac ratione esse utrinque intelligitur.

18.

Per communicationem sui divinam, quae non excipitur et percipitur nisi fide fideique soli conceditur, fides jam in semet ipsa habet et continet vivum aliquod et quasi praegnans initium ac semen cognitionis Dei objectivae seu punctum quasi aliquod, quod dicunt, saliens ejusdem cognitionis, quod scientiae opera illa fide nisa in homine ipso crescere sensim et dilatari eaque ipsa ratione homini magis magisque proprium fieri atque cum homine coalescere debet. Praeclare hoc sensu Augustinus: „Crescat ergo Deus, qui semper perfectus est, crescat in te; quanto enim magis intelligis Deum et quanto magis capis, videtur in te crescere Deus. Lumen ipsum Dei crescit in te.“ Quod quidem lumen Dei in nobis nihil aliud est, quam Deus ipse — fidei nostrae praesens seque nobiscum communicans — ut sui sibi conscius,

se ipsum sciens et cognoscens. Deus, semet ipsum nobiscum communicaturus, profecto non alio modo in nobis est, quam quo ipse vere est Deus seu persona absoluta, i. e. ut mens divina, spiritualis, sui sibi conscia seque ipsam intuens, id quod mentis seu spiritus personalis in universum, summe vero et absolute mentis divinae proprium est. Haec Dei, in nobis se ipsum nobiscum communicaturi nobisque intime praesentis, sui ipsius cognitio et scientia continuo nostram fide nisam Dei cognitionem et scientiam provocat et quasi sollicitat; Deus fide, utpote solo Deum excipiendi in nobis instrumento, ad con-scientiam (i. e. Mitwissen, si verbo ita uti licet) ejus cognitionis, qua se ipsum cognoscit et intuetur, trahere nos vult atque evehere. —

Quomodo autem haec omnia revera fieri nequeant nisi in Christo neque per se stare possint, quaeque inde dogmaticae Christianae ratio sequatur, Parte II. exponendum est.

Jam indicenda Vobis sunt, Commilitones Carissimi, solemnia sacra Pentecostalia, quibus Spiritum Sanctum, a Patre Filioque procedentem, ecclesiae conditorem et sustentatorem potentissimum, universae vitae pariter atque doctrinae Christianae moderatorem optimum et unice verum, colimus ejusque dona ac beneficia summa et sanctissima pie celebramus. Quod ut recte et ad verae aeternaeque salutis fructum percipiendum accommodatissime inter nos fiat, Eundem Spiritum Sanctum enixe precamur.

P. P. in Universitate Lipsiensi Domin. Exaudi a. S. MDCCCLV.
